

DE AEQVATIONIBVS DV. odecim domorum cœli.



IOHANNES à Monte regio, non tantum Franciæ orientalis suæ, sed & totius Germaniæ nostræ decus & ornamentum, multa ad communem Mathematicarum disciplinarum utilia inuenit, & in lucem magna cum laude edidit: inter quæ opus est verè elegans, Tabularum directionum perfectè elaboratū, in quo opere problemate 14 ostendit, se nihil præterea tentasse, quàm vt tabulas pro æquationibus domorum duodecim cœli, in omni habitatione, cuius latitudo maxima 60 gradus non excederet, huiusmodi rerum studiosis palam faceret, etiam si id multo copiosius præstare, si voluisset, potuerit. Quia vero honestorum studiorum nunquam non comes esse solet inuidia, inuenit & ipse doctissimus vir, post fata sua, qui inuiderent surgentem Germaniæ nostræ gloriã, ac hominis in utraq; lingua eruditissimi laudem, plus æquo, obscurare conentur. Quod equidem minime ferendum nobis censuerim patientur Lucas Gauricus Neapolitanus, homo alioqui doctus, Regiomontanum nostrū, loco quodam de æquationibus domorum cœli, cum Ephemerides Ioannis Stofleri Sueui, Venetijs edere curasset, amariuscule quidem, & præter meritum vii doctissimi, perstrinxit, traduxitq; in hunc modum. Nos in tabulis nostris directorijs, Deo auspice, prope diem promulgabimus plerasque tabulas domorū in plerisque finitoribus ad gradus & minuta supputatas, in quibus præterea locis idem Ioannes Regius licet celeberrimus, dormitauerit: nam quandoque bonus dormitat. Homerus, ibi enunciare non dubitabimus, ne in posterum studiosi, rerum coelestium perscrutatores cum ipso quoque aberrent. Hæc ille. Quasi verò ô clarissime Gaurice Regiomontanus noster veterum, vt aiunt, passus, aut dormierit, aut dormitauerit, cum hæc ita scriberet? An non fatetur ipse ingenuè, se nolle hæc tabulas ultra 60 gradus altitudinis poli extendere, id quod paulo ante quoque demonstrauius: Porro huius æquationis cum fundamentum, tum demonstrationem hic oculis conspiciendum subiecimus.



Y

Pro